

und Güte, wenn die rechten Bedingungen vorhanden sind: begründete Bitten und Unterstützung von Seiten hoher Personen, moralische Würdigkeit und Qualifikation der Petenten. Der summarische Untersatz ist durch die vier Teile des Bibeltextes gegeben: nun aber ist Papst Klemens ein wahrer guter Vater; die Bitte um den Kardinalshut wird von hervorragenden Personen, dem Comes Virtutum, dem Grafen von Savoyen und vielen anderen auf das kräftigste unterstützt; die Petenten kehren zur Wahrheit des Papsttums reumütig zurück und sind für den hohen Posten eines Kardinals als Säulen und Kämpfer vielleicht mehr nützlich als andere. Deshalb, so schließt Petrus Girardi seine mit Zitaten aus der hl. Schrift, den christlichen und heidnischen Schriftstellern reich aufgeputzte Rede, verlieh Klemens VII. den beiden, Pileus de Prata und Galeotto de Petramala den Kardinalat und sendet ihnen das Zeichen der Würde, den roten Hut. Diese Szene der Übergabe ging wohl nach dieser feierlichen Anrede vor sich.

In der Pariser Handschrift folgt diese Anrede des Bischofs Petrus Girardi auf das Schreiben, das Klemens VII. im Jahre 1380 seinen Gesandten, dem Bischof von Genf Johann de Murot und dem damaligen Kammerkleriker Petrus Girardi zuschiebt, welches ich binnen kurzem veröffentlichen werde. Im Jahre 1382 wird Petrus Girardi Bischof von Lodève, am 17. Juli 1385 nach Le Puy transferiert und im Jahre 1390 zum Kardinal kreiert.<sup>1)</sup>

## Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. IV. 1908, pg. 561—579.)

### Articulus II.

Monasteria Provinciae „de Campos“.

Erant quatuordecim, nempe; Valladolid, Sahagun, Carrion, Leon, Exlonza, Espinareda, Montes, Salamanca, Dueñas, Bueso, Zamora, Medina, Fromista et San Mancio. Nunc de singulis pauca, quemadmodum de praecedentibus fecimus.

#### § I.

Monasterium S. Benedicti Vallisoleti.

Hoc Coenobium, etsi fundatione novissimum, reformatione tamen, quae ad alia multa inde propagata est, celeberrimum

---

<sup>1)</sup> Eubel, a. a. O., S. 323, 91.

evasit, nomenque suum Congregationi, cujus diu caput exstitit, etiam transmisit. Occasionem praedictae foundationis aliqui scriptores referunt ad tempora Henrici II, Castellae regis, qui ad reparanda, quae fecerat, damna durante bello, quod cum fratre suo Petro diu sustinuit, quia quoddam Coenobium ad ordinem nostrum pertinens concrematum fuerat, aliud ejus loco pro iisdem benedictinis aedificare constituit. Veruntamen cum hoc facere nequiverit morte praeventus, illud filio suo Joanni I adimplendum injunxit, qui paternam complevit voluntatem anno 1389, ut supra in capite primo hujus elucubrationis dictum est.<sup>1)</sup>

Rex, ergo, Joannes arcesivit Abbatem Sahaguntinum, nomine item Joannem, et ab eo monachos petiit ad tantum opus idoneos, quos Abbas desumpsit ex Prioratu Sancti Salvatoris de Nogal, ubi Sanctae Regulae observantia tunc maxime florebat.<sup>2)</sup> In Vallisoletum directi cum Priore suo Antonio de Ceynos solemniter recepti sunt, eisque tunc ad inhabitandum tradita est parva arx regia, donec res cum summo Pontifice componerentur, aliaque aedificia pro monasticis observantiis aptarentur. Cum ergo advenirent pontificia diplomata, coeteris rebus dispositis, die 27 Septembris 1390, monachis in oratorio arcis ante Verperas congregatis, lectisque fundatoris conditionibus aliisque instrumentis, cumque omnia monachi rata haberent, Episcopus Ovetensis, cui hujusmodi negotium commissum erat, domum regiam in monasterium convertit, eique S. Patris Benedicti nomen indidit. Postea Vesperae in oratorio solemniter cantatae sunt, ac die sequenti Missam pontificalem celebravit idem Episcopus magno cleri populique vallisoletani concursu, et ex illa die in hoc Coenobio clausura ad instar rigidarum Monialium servata fuit.<sup>3)</sup> Paucos post dies supervenit mors regis Joannis, quin diplomata, quae concesserat, debitis sigillis munita essent, ideo monachi redditus bonorum, quae donaverat fundator Coenobio, percipere non potuerunt, unde primis annis non levem rerum omnium penuriam sustinuerunt, ita ut omnia tum a fratribus Monasterii Sahaguntini, tum a fidelibus sperare debuerint, donec instante Gundisalvo Nuñez de Guzman, Ordinum militarium supremo magistro, Henricus III confirmavit quaecumque pater suus concesserat, simulque alia ipse addidit,

<sup>1)</sup> Cf. Studien, 1904 pag. 195; Vide Cuadrado: »Recuerdos y Bellezas de España«, Valladolid. pag. 53: Sangrador-Minguella: »La Iglesia de San Benito el Real de Valladolid«, ibidem, 1904, pag. 11. Opus caute legendum utpote nihil securum in rebus monasticis.

<sup>2)</sup> Primi monachi Vallisoletani fuere: Antonius de Villanueva, Nicolaus Francés, Alphonsus de Medina de Rioseco; Gundisalvus de Fontiyuelo; Joannes de Castroxeriz; Joannes de Burgos, Petrus, Alphonsus et Garcias de Sahagun; Ferdinandus de Carrion; Joannes de Medina Celi; Martinus de Castildonado et Joannes del Campo. Cf. Escalona, O. S. B. »Historia de Sahagun«, pag. 179.

<sup>3)</sup> Sangrador Minguella, Op. cit. pag. 12.

quae omnia etiam pontificia auctoritate roborari voluit.<sup>1)</sup> Eodem tempore ob maximam monachorum religionem Summi Pontificis plura ipsis privilegia contulere, annoque 1410 Coenobium Romanae Ecclesiae immediate subjectum apparet in diplomate Benedicti XIII Tarracone VIII Kalendas augusti dato, in quo ipsum exemit a praestatione decimarum de quibuscumque possessionibus quae in praesentiarum rationabiliter possideret ac in futurum iusto titulo praestante Domino adipisci posset.<sup>2)</sup> Hujusmodi donationibus ac exemptionibus, et fidelium largitione atque nonnullorum Coenobiorum anexione crevit Monachorum numerus, ita ut exinde multi tum ad novas fundationes faciendas prodirent, tum ad vitam regularem in antiquis restituendam pergerent, quin conventus vallisoletanus minueret. Saeculo XVI coenobitae ordinarie quinquaginta ibidem numerabantur, non computatis qui debebant in annexis, qui omnes sub initio saeculi XIX ad centum viginti et amplius ascendebant.<sup>3)</sup> Hisce quoque adjunctis regia domus in amplum monasticisque ritibus satis aptum monasterium conversa est, talisque mansit ut etiam nunc temporis post tot annorum spatium rerumque mutationem, etsi militaribus usibus destinata, adhuc, quod non destructum est, mirabile reputetur.<sup>4)</sup>

Ecclesia pariter hujus Monasterii, summa item magnificentia aedificata, erigi coepit anno 1499, tantique coenobii ac civitatis digna, ut communiter omnes, qui eam viderunt, aut de ipsa pertractant, nobis tradidere.<sup>5)</sup> Magnam pretiosamque habuit sacrarum Reliquiarum copiam, quae in ea decentissime asservabantur colebanturque, sicuti videre est praecipue apud Morales in suo Itinerario, quod ab hoc loco incipit.<sup>6)</sup>

Praeterea in hac Ecclesia tumulatum fuit cadaver Mariae de Austria, Hungariae reginae, Caroli V sororis, quae obiit apud Cigales die 18 Octobris 1858, hicque jacuit usque ad 1574 quo jussu Philippi II ad Escorialense regium Pantheon delatum est.<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> Escalona. Op. cit. pag. 279; Sangrador Minguella. pag. 19.

<sup>2)</sup> Privilegia praecipua Congregationis Sancti Benedicti Vallisoletani, Vallisoleti 1595 pag. 69v.

<sup>3)</sup> Morales. »Viaje santo«, pag. 4. Catalogus Ms. an. 1801.

<sup>4)</sup> Ponz »Viaje de España«, tom. XI. edit. Matriti 1783, pag. 53; Cuadrado op. cit. pag. 55. Madoz, »Diccionario geografico estadistico de España«, tom. XV, pag. 561, edit. Matrit. 1849; Sangrador Minguella pag. 49. Tempore invasionis gallicae hoc aedificium etiam iisdem usibus accomodatum est a ducibus imperatoris, Vide hunc auctorem pag. 65.

<sup>5)</sup> Ponz, Op. cit. pag. 53 seq; Diccionario geografico universal, tom. X. pag. 372 edit. Barcin. 1834. Cuadrado, pag. 53—54; Sangrador Minguella, pag. 29 seq.

<sup>6)</sup> »Viaje de Ambrosio de Morales«, Madrid 1765, pag. 5; Sangrador Minguella pag. 42.

<sup>7)</sup> Morales, pag. 11; Cuadrado, pag. 54; Saugrador Minguella, pag. 35, 49 seq.

Anno 1600 ad ipsam translata sunt ossa duorum Principum, nempe Alphonsi, filii Sanctii IV Castellae ac Legionis Regis, et alterius ex regia pariter sanguine provenientis.<sup>1)</sup> Insuper in eodem templo persoluta sunt nonnulla regia funera, quorum memorabilia fuere imprimis illud reginae Joannae, matris Caroli V, quae obiit anno 1555, et triennio post aliud pro aeterna requie ipsius Imperatoris die 2 Decembris 1558 in quo concionem ad populum habuit S. Franciscus de Borgia, qui ejus in imperio abdicando consiliarius exstiterat, et tandem an. 1608 die 3 Augusti pro Archiducissa Maria Margaritae Philippi III uxoris matre. Ibi quoque an. 1605 solemnī pompa celebratus est ortus Philippi IV, qua occasione turris et Ecclesiae porticus igne concremata sunt, sed iterum adjuvante civitate in pristinum statum restituta. Saeculo sequenti, die 18 Februarii 1721, nobiles Castellae Principem Ferdinandum, postea Regem hujus nominis sextum, Regni successorem susceperunt ac sacramento se illi obstrinxerunt, quod iterum apud Carolum III ejus fratrem, suumque filium Carolum IV die 12 maji 1761 perfecere.<sup>2)</sup>

Propter capitula generalia Congregationis, quae fere semper in hoc Monasterio usque ad finem saeculi XVIII congregata sunt, unaquaeque domus propriam sedem in Choro principali habebat, insculptis ibidem Patroni sui effigie atque Coenobii stemmate, ut adhuc videre est in Musaeo civitatis.<sup>3)</sup> Haec enim Ecclesia, biennio post suppressionem Communitatis, quae inde discessit die 18 Augusti 1835, clausa fuit an. 1837, quom dux militaris Zariategui nomine gubernii omnia occupavit aedificia; tuncque toreuticus sacrae arae ornatus, memorata sellarum Chori series, multaeque picturae ac sculpturae insignes in praedictum provinciale musaeum sunt adsportata, ibique servantur, aliae res praetiosae ac suppellectilia sacra Ecclesiae Cathedrali assignata sunt, ut sacrae Imagines, inter quas eminebat devotissima illa Crucifixi a fidelibus vallisoletanis summa veneratione honorata:<sup>4)</sup> alia non pauca subrepta sunt et Ecclesia in castellum conversa, fere tota renovata seu potius destructa fuit usibus militaribus destinata usque ad 1879, quo Gubernium illam municipio Vallisoletano ad divinum cultum restituendam cessit, ut denique an. 1892 factum est per sodales Carmelitanos, qui Confraternitatis suae sedem ibidem anno sequenti, favente Archiepiscopo Cascajares paulo post S. R. E. Cardinali, transtulerunt ac firmarunt, qua

<sup>1)</sup> Cuadrado, loc. cit. Minguella, pag. 35. Horum aliorumque nobilium cinera translata fuere ad Capellam Musaei provincialis, anno 1835.

<sup>2)</sup> Minguella, pag. 55 seq.

<sup>3)</sup> Salvador Minguella, pag. 38. Ponz, op. cit. pag. 56.

<sup>4)</sup> Morales, »Viaje Santo«, pag. 7; Ponz, pag. 55; Sangrador Minguella, pag. 43.

occasione, templum sub B. Mariae V. de Monte Carmelo advocacione dedicatum est.<sup>1)</sup> Ipsi pariter adlaborant ut restituatur monasterium, seu potius claustrum adjunctum, quod consequi sperant cum nova hospitia pro militibus congrua construantur.

Tametsi Vallisoletanum Coenobium ratione foundationis a Sahaguntino penderet, post mortem Antonii de Ceynos, qui, ut diximus, fuit primus Superior et deinde Abbas Sti Facundi, subjectionem excutere tentavit, maxime ex quo reformatio Coenobiorum antiquorum Vallisoletanis commissa fuit, non exclusa visitatione vel ejusdem Sahaguntini, quam perficere tentarunt vario successu duo Priores Vallisoleti, nempe, Joannes de Accevedo et Joannes de Frias.<sup>2)</sup> Tandem anno 1425 obtinuerunt vallisoletani ne amplius Prior ipsorum ab Abbate Sahaguntino confirmaretur, sicque omnino independentes evaserunt.<sup>3)</sup> Cumque ipso tempore nonnulla Coenobia conderent ut Fromistanum et S. Mariae de Calabazanos, aliaque in perpetuum annexarentur, ut Montfortinum, de quo supra diximus,<sup>4)</sup> Zamorense ac Buesonense, necnon et tria alia fundacione antiquissima, nempe, S. Romani de Ornisga: quod a Rege Chindasvinto conditum fuit an. 646.<sup>5)</sup> Stae Mariae de Zebrero an. 836 fundatum,<sup>6)</sup> et S. Salvatoris de Chantada,

<sup>1)</sup> Salvador Minguella, pag. 66—68 totaque parte 2a.

<sup>2)</sup> Studien, 1907, pag. 43, 44.

<sup>3)</sup> Escalona, pag. 280.

<sup>4)</sup> Studien, 1908, 376—79.

<sup>5)</sup> Yepes, II, 184; Morales »Cronica«, lib. XII, cap. XXIX, (t. II pag. 129, edit. Matrit. 1852), »Viage«, pag. 11; Mariana, »De rebus Hispaniae«, lib. VI, cap. VIII; Cuadrado, op. cit. pag. 179 seq.

<sup>6)</sup> Yepes, IV, 62; Morales, »Viage«, pag. 165—67; Argaiç, »La Soledad laureada«, III, 439. Etsi nihil certi asseverari possit circa ejus initium, ad hanc aetatem reducendum videtur. Situm erat in confinibus regnorum Legionis et Galloeciae secus viam quae ducit in Compostellam, quamobrem inserviebat tanquam hospitium pro peregrinis, qui ad visitandum sepulchrum B. Jacobi Apostoli ex multis regionibus, praecipue ex Gallia, confluebant. Fortasse hac de causa subjectum est Monasterio S. Giraldi Aurelianensis, ut patet ex verbis privilegii Ferdinandi II: »Concedo, ait, et confirmo hospitali montis Zebruarii donationes, quas pater meus Imperator, proavusque meus Rex Adepheus ipsi praedicto hospitali et fratribus ejusdem sub Regula Beati Girardi degentibus, divina inspiratione, in perpetuum sunt largitae (?).« Fere cuncti Reges usque ad Philippum II bona hujusmodi auxerunt ob tam praeclarum charitatis opus, concesseruntque pariter liberrima privilegia subditis ejus ut ipsi quoque suam conferrent operam; verumtamen multa passus est per defensores, ut dicebantur, et tandem per Commendatarios; ideo, ut pio illi operi fieret satis annexa sunt ei Monasteria S. Vincentii de Monforte et S. Petri de Valverde; sed paulo post sub potestate Vallisoletanorum omnia simul pervenerunt (1487). Nonnullas possidebat insignes Reliquias, inter quas memoratur fragmentum Verae Crucis, quod ibi reliquit Calixtus II priusquam Pontifex esset, dum peregrinationem ad S. Jacobum cum fratre suo Raymundo peregit. Sed quod magis celebre fecit hoc Coenobium est miraculum SS. Sacramenti, quod his verbis in Bulla Innocentii VIII refertur: »Cum olim quam plurimis annis effusus quidam Presbyter in Ecclesia Monasterii Beatæ Mariae del Cebrero, nunc per Priorem solitæ gubernari Ordinis Sancti

cujus primordia ad annum 1033 referuntur,<sup>1)</sup> Prior Vallisoletanus sensim sine sensu Superior horum omnium devenit, et tandem cum reformatio ad alia extensa est, ac proinde Congregatio efformata facile Generalis ejus constitutus, donec reclamantibus Monasteriis liberam electionem hujus muneris, post longam inter partes contentionem, utraque dignitas separata fuit, tuncque Vallisoletanis proprius Abbas designatus, sicut in capite III diximus.<sup>2)</sup>

Primus ita pro Monasterio Vallisoletano electus Abbas fuit clarissimus vir Antonius Yepes, hujus loci monachus professus, virtute ac litteris toto orbe apprime notus praecipue ob Chronicon benedictinum, quod ab initio nostri Ordinis usque ad annum 1169 septem voluminibus pertingit, historiamque monasticam, maxime in rebus hispanis, valde illustravit. Bis ei cura sui Coenobii demandata fuit, scilicet anno 1610—13, iterumque an. 1617, sed hac vice quadriennium non complevit, quia morte correptus obiit anno sequenti (1618).<sup>3)</sup> Benedictus de Samano (1623) iterum, sed frustra, Praelaturam generalitiam Vallisoletano Praesuli vindicare tentavit, ad quod Romam missit Maurum de Tovar, qui anno

Benedicti, Lucensis Dioecesis, celebrasset, et post consecrationem Corporis Domini Nostri Jesu Christi an ex vino in Calice consecrato verus Sanguis Christi conficeretur dubitasset; idem Dominus noster Jesus Christus volens dubietatem ejusmodi de ejus corde evellere, et veritatem hujus Sacratissimi Sacramenti magis patefacere; subito in dicto Calice miraculose verus sanguis oculis corporeis visibilis apparuit: ejusque pars in dicto Calice in corporalibus super Altari existentibus effusus est, atque idem Sanguis ita visibilis remansit, ut hodie pro Reliquiis conservatus conspiciatur ut sanguis hominis vel haedi recenter effusus coagulatus inde videatur. . . . Hae omnia item confirmantur in Bulla Alexandri VI an. 1496. — Cf. cit. Auctores.

1) Yepes, VI. 23v seq.; Argaiz, »Soledad laureada«, III 445. Hic auctor tamen censet hoc Monasterium conditum fuisse circ. annum 909 a Sancti Rudesindi avis, et postea copiose ditatum ab Hermesenda, Munionis dicti Sancti fratris filia, quae ibidem non multo post habitum induit. Adnotat praeterea Aeram non esse quam transcripsit Yepesius MLXI (millesimam sexagesimam primam) sed MLXI, id est, millesimam nongentesimam primam, quae est Annus Christi 1053, quod roborat suscriptionibus Abbatum, qui deinde an. 1073 iterum simul aliam scripturam confirmantes inveniuntur. Re quidem vera inter illos, adest Arias, Abbas Monasterii Cellaenovae, qui ab an. 1048 ipsum gubernabat. Coenobium de Plantata, vulgo Chantada, multis annis fuit inhabitatum a monialibus et monachis juxta illorum temporum consuetudinem, gradum habens abbatiale; sed tandem remanserunt monachi observantia et opibus florentes donec intraverunt Commendatarii, qui suo more omnia subveterunt, illud in ruinam fere trahentes; liberatum tamen fuit ab unguibus eorum anno 1496, cum Alexander VI ad instantiam Monachorum ipsum Vallisoletano aggregavit, tuncque in eo Abbatialis dignitas finivit. Situm erat in Dioecesi Lucensi non longe a flumine Minio, in loco unde nomen accepit.

2) Studien, 1907. pag. 40—41.

3) Errant quotquot eum vocant Abbatem seu Superiorem generalem, non attendentes ad hanc rerum mutationem. Ita »Biografia eclesiastica universal«, tom. XXX, pag. 870, edit. Matrili 1868, et »Diccionario de ciencias eclesiasticas«, tom. X, pag. 507, edit. Valenc. 1890.

1633 in regimine successit, et postea ob vitae meritum Episcopus Venezolanus in occidentalibus Indiis renuntiatus an. 1639, illam Sedem administravit usque ad 1655, quo translatus est Chiapam, in qua supremum obiit diem circ. 1660.<sup>1)</sup> Hoc eodem saeculo speciali memoria digni sunt etiam Franciscus de Zeballos (1665) propter opera quae in aedibus Coenobii perfecit, et Marcus de Morales (1677) qui pro ejusdem bono ac servitio ad occiduas plagas magno animi ardore pertransire non dubitavit.<sup>2)</sup> Sed quia jam dedimus Catalogum omnium Superiorum, qui ab initio foundationis usque ad primordia saeculi XVII hoc Coenobium moderati sunt, addemus infra in nota quotquot ex illo tempore, cl. Yepesio incluso, usque ad annum 1835 successere, ut integra eorum series habeatur.<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Argaiz, »Perla de Cataluña«, 479, 481, Gams. 142, 166, Hernaez, op. cit. II, 121.

<sup>2)</sup> Argaiz, loc. cit.

<sup>3)</sup> Sunt sequentes:

- 1610 Antonius de Yepes, qui jam fuerat Abbas S. Joannis B. de Corias 1592, S. Vincentii Ovetensis, et Salmaticensis (1598—1601).  
1613 Gregorius de Lazcano, item Abbas Salmaticensis (1607): obiit an. 1614.  
1614 Alphonsus de Vera, postea Exlonzensis (1617—20 †)  
1617 Antonius de Yepes, iterum, obiit die 30 Octobris 1618.  
1618 Hieronymus Marthon, Abbas item Monfortinus (1596) S. Petri de Villanueva (1594) et Hispalensis (1601). Scriptor ecclesiasticus.  
1621 Benedictus de Samano.  
1625 Andreas de Villa, Abbas quoque Hispalensis (1637), scriptor ecclesiasticus.  
1629 Augustinus de Benavente, Abbas Podiensis (1637), scriptor ecclesiasticus.  
1633 Maurus Tovar, Episcopus Venezolanus et Chiapensis, † c. 1660.  
1637 Franciscus de Vega Vargas (Abbas Exlonzensis? 1607 et Ovetensis, 1645.  
1641 Franciscus de Vega Bazan, Abbas S. Martini Matritensis (1630) Visitator Congregationis, Primus Definitor, scriptor ecclesiasticus.  
1645 Andreas de Villa, iterum, obiit an. 1646.  
1646 Augustinus de Benavente, renuntiavit anno sequenti.  
1648 Gregorius de Samano.  
1649 Joannes de Quiñones, concionator congregationis et electus Abbas Lerezensis (1661).  
1653 Franciscus de Vega Vargas, iterum.  
1657 Alphonsus de Burgos, Abbas Zamorensis et Procurator generalis in Curia Vallisoletana \*)  
1661 Franciscus de Zeballos, Magister generalis.  
1665 Josephus de Valdivielso, Concionator generalis, Abbas item Monfortinus, S. Petri de Montes et Ovetensis (1657).  
1669 Franciscus de Zeballos, iterum, obiit Matrili anno sequenti (1670).  
1670 Petrus de Tapia, Abbas quoque Podiensis (1653) et Exlonzensis (1665) † 1672.  
1672 Gregorius de Toledo: item fuit Abbas Monfortinus.  
1673 Joannes Gutierrez del Mazo, Secretarius Congregationis.  
1677 Marcus de Morales.

---

\*) Confundendi non sunt hic Abbas et eremita Montserratensis omonimus, qui magna vitae sanctitate ac doctrina floruit saeculo praecedenti, de quo Vide Yepes, IV, 245; Argaiz, »Perla«, 202, 446—47.

Plurimos clarissimosque pariter hoc Coenobium habuit viros tum virtute tum scientia et dignitatibus obtentis memoria dignos. Omisiss autem illis omnibus, de quibus praecipue in superiore capite locuti sumus, memorabimus adhuc et alios, qui omitti absque

- 
- 1681 Petrus de Otero, Abbas item Monfortinus et Concionator generalis.  
1685 Benedictus Vaca, Concionator Generalis (1701).  
1689 Gregorius Ruiz, Abbas Carrionensis? 1693.  
1698 Benedictus Vaca, iterum  
1697 Emmanuel de Toledo, Abbas deinde Podiensis (1700).  
1701 Gregorius Ruiz, iterum.  
1705 Antonius de la Carrera.  
1709 Enneco de Ruiloba, Abbas etiam Monfortinus (1705).\*)  
1763 Bernardus Bizcabeto.  
1717 Isidorus Santin, praecedenti quadriennio Secretarius Congregationis.  
1721 Benedictus Armada.  
1725 Joannes Garrido, antea Secretarius Congregationis.  
1729 Placidus Pomar.  
1733 Barnabas Iguin, Magister generalis et chronographus Congregationis, Sacrae theologiae Lector in Academia Salmanticensi, ejusdem facultatis cathedrae moderator in Hirachensi atque Praefectus Studiorum in Exlonza.  
1737 Ludovicus Blanco.  
1741 Andreas Chavarri  
1745 Joannes Garrido, iterum?  
1749 Didacus Bocalan, sequenti quadriennio Definitor, et Theologiae Lector in Monteserrato Matritensi.  
1753 Antonius Piñeiro, Congregationis jampridem Secretarius.  
1757 Bernardus Somoza.  
1761 Antonius Piñeiro, iterum.  
1765 Josephus Lopez.  
1769 Attilanus Muñoz.  
1773 Josephus Lopez.  
1774 Alphonsus Olivares.\*\*)  
1777 Petrus Gonzalez.  
1781 Benedictus Prada.  
1785 Benedictus Ortiz.  
1789 Attilanus Muñoz, iterum.  
1793 Ildephonsus Merchante, Concionator generalis 1805.  
1797 Josephus Garrido, Abbas iterum 1805, Magister generalis 1814.  
1801 Leo Gonzalez Vega, Visitator an. 1805.  
1814 Gregorius Rico, Definitor an. 1818, Magister Generalis an. 1824.  
1818 Andreas Castro, Definitor 1824, Procurator Generalis Vallisoleti 1828, in Portu Brigantino an. 1832.  
1824 Ferdinandus Seguin, Concionator Monfortinus 1818; Definitor 1828.  
1828 Petrus Garza, Abbas S. Mariae de Espino 1805, Definitor 1814, Abbas S. Mariae de Sopenan 1818, Vicarius Monialium Ovetensium Monasterii de Vega 1824 et tandem Visitator an. 1832.  
1832 Raphael Vazquez, Philosophiae Lector apud Ribas del Sil anno 1828.

---

\*) Fuit et alius Enneco de Ruiloba, monachus et Abbas Oñiensis (1667), Procurator antea in Curia romana, Praesul deinde Coenobii Lerezensis (1673), atque Magister generalis. Argaiç, »Soledad«, VI, 523.

\*\*) Ita constat ex versione quam in sermonem hispanum ipse fecit librorum »De Imitatione Christi«, eodem an. 1774.

injuria non possunt, ut Ferdinandus de Medina, qui plures Abbantias gubernavit et praeterea tanquam Vicarius Ruderici de Vadillo, cum is Romam missus est, Congregationem optime rexit;<sup>1)</sup> Antonius de Alvarado, Fulgentius de Oviedo, Didacus de Haedo, scriptis editis celebres, necnon Gregorius Bravo Sotomayor, Alphonsus Chinchilla, Placidus Reynosa, Bartholemeus Segura, Placidus Antolinez, aliique bene multi, qui abbatali dignitate pariter florere atque in subsequenti capite memorabuntur. Sed prae his omnibus nominandus venit venerabilis Garcias de Cisneros, hujus Coenobii olim sub-Prior, deinde Asceterii Montisserrati reformator et Abbas, vir sanctitate ac doctrina clarissimus,<sup>2)</sup> neque omittendus est etiam Joannes del Valle, qui post munera in Congregatione diligenter satisfacta, ad Cathedram Guadalaxarem in America elevatus est an. 1606, quam duodecim annis occupavit, post quos, dimissione illius facta, in patriam reversus est (1618) et Matrity degens vitae cursum explevit an. 1622.<sup>3)</sup>

Inter clariores saeculi XIX monachos designandus est Attilanus De Ajo Solórzano, Sacrae Theologiae Lector, et studiorum moderator primum in Collegio Sancti Petri de Exlonza (1828), deinde in Universitate Hirachensi, cujus scripta in refellendis erroribus sui temporis laudat clariss. vir Menendez Pelayo, in opere de hispanis heterodoxis.<sup>4)</sup> Simile munus obivat illo tempore in Universitate Ovetensi Josephus Porto, qui prius in Collegio Rippasilensi Magister scholasticorum extiterat (1818), dum Josephus Gonzalez Pola Lectoris munere in Podiensi fungebatur, in quo etiam postea Vespertinam Cathedram tenebat an. 1828 Veremundus Atienza, jampridem Theologiae Lector in Collegio S. Stephani, tandem studiorum moderator in suo Coenobio Vallisoletano. Anno 1805 Ludovicus Lopez Lago inter concionatores regio adscriptus invenitur, Placidus autem Rico inter Magistros generales, et Oddo Rodriguez,

<sup>1)</sup> Yepes meminit ejus semper magnis illum extollens laudibus ob ejus religiosam observantiam, virtutes atque doctrinam. Fuit bis Prior Coenobii Vallisoletani; item bis Abbas Compostellanus (1563, 1569): Praesul quoque Montfortinus (1550), Salmanticensis (1553), Ovetensis (?), Fromistanus et Hirachensis (1562). Cf. tom. III, 385v; IV, 58; VII, 343.

<sup>2)</sup> Primus, quem sciam, Episcopum fecit nostrum Cisneros novissimus scriptor Sangrador Minguella in opere saepe citato; Sedem non assignat, nec mirum, cum numquam talem dignitatem habuerit. (Vide pag. 61.)

<sup>3)</sup> Gams, 149; Hernaez, II. 72—73; errat tamen illum inter Abbates Vallisoletanos recensens; Sangrador Minguella 62—63. Hic auctor, qui ibidem monachos illustres hujus Coenobii dinumerare intendit, omisit fere omnes supradictos, inseruit tamen alios, ut Franciscum Ruiz (Sahaguntinum) et Joannem de Medina (Montserratensem), et ante istos Antonium Castell (conversum Montserratensem) et Petrum Martinez (item conversum, Coenobii Charadignensis), quia Vallisoleti degerunt.

<sup>4)</sup> «Historia de los Heterodoxos españoles», tom. III. pag. 530—31. edit. Matrity 1881.

Visitor Congregationis designatus. In Capitulo sequenti Joaquin Muñoz concionatoribus generalibus adjungi meruit, eodemque anno Antonius Limia electus est Abbas Sancti Vincentii Salmanticensis, quod iterum rexit ab an. 1832. Dignitatem quoque Abbatialem obtinuit apud Exlonzam (1824) Andreas Mendoza, qui in ultimo Capitulo Congregationis Magister generalis salutatus est (1832). Tandem non semel, nec uni tantum Vallisoletanorum munera Procuratoria commendata sunt hoc eodem saeculo. Ita Vincentius Elices an. 1814 destinatus fuit pro curia Pintiana et in sequenti Capitulo (1818) confirmatus. Anno 1828 tres Vallisoletani ad hoc officium vocati fuere; nempe, Fulgentius Montoya, pro curia Matritensi; Andreas Castro, pro Pintiana et Gabriel Rubio, pro regione gallaica, qui omnes, tametsi loco mutato, iterum an. 1832 confirmati apparent. Horum omnium posteriores notitiae finisque cursus mortalis, sicuti et reliquorum illius magni Conventus monachorum, usquemodo nobis latent.

(Continuatio sequitur.)

## Kardinal Pitra, O. S. B.

Eine biographische Skizze nach Dom Cabrol's Histoire du Cardinal Pitra  
von P. Thomas Bühler, O. S. B.

(Fortsetzung zu Heft 4, 1908, S. 596—611.)

### XIX. Kapitel.

#### Leo XIII. und Kardinal Pitra.

Nach seiner Rückkehr nach Rom verlegte sich Kardinal Pitra mit neuem Eifer auf das Studium, welches ihn oft die Last des sich geltend machenden Alters vergessen ließ. Mehr als je fühlte er sich in seinem Palaste von San Callisto vereinsamt. In Solesmes hatte er wenigstens einige Wochen lang unter seinen Mitbrüdern leben können; jetzt war er aber wieder einsam und gerade seine Kardinalswürde ließ ihn die Leere in seiner Umgebung noch stärker fühlen. Bisweilen beklagte er sich in seinen Briefen über diese Verlassenheit, doch fügte er sich ganz in den Willen Gottes, wie er ehemals ganz ergeben war, als er nach seiner Profese den Wanderstab ergreifen und fast alle Länder Europas durchziehen mußte. Die Gefangenschaft des Papstes wurde jeden Tag fühlbarer und trotz der günstigen Berichte, nahm die Gesundheit Pius IX. Tag für Tag ab.

Wenige Wochen später stand Kardinal Pitra am Sterbebette des großen Papstes und beweinte dessen Hinscheiden wie das eines lieben Vaters. Nun mußte man an die Papstwahl denken. Schon am Tage nach dem Tode des Papstes begannen die Be-